



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum
Libri quinque**

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

6 Remedia contra auaritiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

à Deo & Sanctis omnibus, qui & plures sunt,
 & nobiliores hominibus omnibus in terra vi-
 uentibus; eorumque laus est sola: Sicut enim
 stultum est, querere laudē puerorū, & interim
 à viris omnibus contemni: ita valde impra-
 dente agit, quisquis gloriam hominū querit,
 & se ridendum & contemnendum proponit
 Deo sanctisque omnibus, qui facta eius om-
 nia intuentur.

C A P V T . V I .

R E M E D I A C O N T R A
A V A R I T I A M .

P R I M U M , vitare consuetudinem auaro-
 rum, frequenter adesse liberalibus, atque
 assuescere dādis eleēmosynis. Facilius est
 enim dare, quām accipere. Quia si dare velis,
 nemo impediet: si accipere velis, multi obii-
 ciēt impedimentū. Præterea, beatus est dare,
 quām accipere: Quia cū donas, à multis grā-
 tiā tū Deo, tū tibi aguntur: cū accipis, om-
 nes detestantur. Ut autē consuetudinē illā dā-
 di assumas, alterum horum, vel vtrunq. facio.
Ait. 20. Nempe 1, Naturæ auaræ vim adferas. 2, de
2. Cor. 9. tuo quotidiē certam eleēmosynam, etiam te-
 nescio, conferendi, domestico, vel familiaris
 potestateim facias.

2. Considerare breuitatem vitæ, mortemq.
 imminentē. Facile contemnit omnia (ait D.
 Hieronymus ad Paulinum) qui se semper co-
 gitat esse moriturum. Nam primò, morte de-
 ferenda sunt omnia, ad aliumq. deuoluentur
 fortis

forte ingratum, tui immemorem, & (vt s̄apē
videmus) decoctorem. *Sulie* (ait Dominus) *hac Luc. 12.*
nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti,
cuius erunt? Secundò: post mortē Deo erit red-
denda ratio de quolibet quadrante, quomodo
eum ad Dei Domini voluntatem expenderis.
Quia enim tu honorū non dominus, sed cœco-
nous es constitutus, ratio erit danda de sin-
gulis. Quid ergo tantas opes quæris, quibus
te obligas ad tantas rationes?

*Chrysost.**Hom. 34.**ad popl.**Anticch.*

3. Considerare, quod per diuitias conserua- *Luc. 12.*
tas neq. vita ista prorogetur (nō enim in abū-
dantia est vita cuiusquam, ex his quæ possidet)
neq. vita æterna comparetur: cùm dicat Do-
minus, *Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei: Luc. 6.*
&, *Ve vobis diuitibus.* Cùm autem in usus pau-
perum liberaliter effunduntur, sic & deducunt
ad perfectionem, vt Christus ait, *Si vis perfe-* *Matt. 19.*
ctus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da paupe-
ribus, &c. Et cælestes mereantur diuitias, quæ
tanto nostris diuitiis præstantiores sunt atque
maiores, quanto sol iutum decore, & cæli cir-
cuitus terram amplitudine vincit. Si ergo vis
veras diuitias: habeto illas in cælo, vbi fures *Matt. 6.*
non effodiunt, neque furantur; vbi sollicitudo
conseruandi animum non cruciat; vbi qui di-
uitias est, nunquam ad paupertatem redigitur; &
vbi diuitiæ synceram adferunt & solidam ob-
lectationem.

4. Firmam cōstituere in Domino fiduciam,
qui non solum in veteri testamēto, sed etiam
in nouo, necessaria vitæ fidelibus promisit; &

præ-

Matt. 6. præstítit, Querite (inquiens) p्रimum regnū Dei
& iustitiam eius: & hęc omnia adiiciētur vobis. Et,
Hebr. 11. Non vos deseram neque derelinquam. Qui tantam
turbam Monachorum, Anachorarum, alio-
rumq. religiosorum, & Christianorū, qui nu-
dum Christum nudi secuti fuerunt, hactenus
aluit: is tibi quoq. necessaria præbebit, si ma-
gna fide ei te committas. Dum autem tu plus
æquo sollicitus es, deponit sollicitudinem tui
Deus quam tu de te satis magnā habes. Si ve-
rò sollicitudinem tui proiiceres in eum, ipse
maiorem curam tui susciperet.

5. Intueri exemplum Dei Domini nostri,
qui tanta largitate in omnes vtitur, vt crea-
turas omnes diuinitatis suis cumulet. Non illi sus-
fecit, in vsum tuum hunc orbem creare, quo-
tidianis muneribus te locupletare, Spiritum
suum sanctum atq. seipsum tibi communica-
re: sed in super sanguinem suum, & vitam tibi
dedit, & propter te egenus factus est, cùm es-
set diues, vt illius inopia tu ditareris.

CAPVT VII.
REMEDIA CONTRA LVXV-
RIAM.

OLLA, cùm admota igni nimium fer-
uet, ad eam refrigerandam consuevit
vnū ex his tribus adhiberi: vel ab igne
amouetur: vel ligna subtrahuntur: vel frigida
infunditur. Quia ergo libidinis ardor est quí-
dam ignis: ad eius feruorem minuendum si-
milibus est vtendum remediis.

I. Fu-